

IV-ème CONGRÈS INTERNATIONAL
DE VITA LATINA

Versus ad laetam et faustam occasionem

IV. Conventus Vitae Latinae

diebus 1., 2., 3. Mensis Aprilis in pernobili et incluta urbe Avenione

Nobilis urbs Rhodani curvato in litore, salve!
Quam visentes te laetitia afficimur!

Tu domina, Avenio, merito celebraris aquarum,
Namque Druentia iuxta hic fluit in Rhodanum.

Avenio, sedes artis, monstras memoranda:
Quis te noscere non atque videre velit?

Septem pontifices summi hic sedem tenuerunt,
Arcem moliti magnificam nitide.

Propugnacula sunt, speculae, munimina, turres,
Fana, fores, pinnae, moenia, turricalae.

En intra scaetae, monumenta, sacraria et aulae,
Atria, picturae, vestibula ac statuae.

Campanaria surgunt hic illicque decora
Et caelamina sunt atque domus celebres,

Coenobia atque aedes artis, palatia culta,
Bibliothecae te templaque mirificant.

Est Vernetus Ioseph hic pictor generatus,
Qui portus patriae pinxit et arva suae.

Editus hic est Aubanel vates Theodorus,
qui scripsit lingua, qua regio haec loquitur:

„Pastor“ scenicus est ludus, mela „Semia pertum
malum granatum“ hoc eius amoena tenet.

Hic a Petrarca visa est pulcherrima Laura,
Illa eius celebris femina carminibus.

Pons vetus insignis mutilus Sancti Benedicti,
Avenionis pons, qui decor urbis adest,

Non Rhodani fert amplius usque ad litora dextra,
Quattuor hos arcus tectaque sacra tenens.

Hoc in ponte, velut dicit carmen popolare,
 Saltant et ducunt multimodas choreas
 Accantant iuvenes pariter pulchraeque puellae
 Atque movent agiles ad sua verba manus.
 Sed pontes alii coniungunt fluminis oras,
 De quibus unus erat pensilis, artis opus.
 Perque vias extramuros circum spatietur
 Hospes corpus sic atque animum recreans
 Ascendatque etiam scopuli viridaria grata
 Cum variis plantis cumque viis placidis.
 In scopulo hoc stabat mola venti quondam, uti monstrat
 Claudii Gordotii picta tabella vetus.
 Hinc mirandi prospectus praebetur imago,
 Desuper aspiciens advena mira videt:
 Hanc ad pectora, si possem, terram peramoenam
 Comprimerem nec non oscula mille darem!
 En findit Rhodanum spectabilis insula valde,
 Flumen quod properas ad mare iactat aquas.
 Turribus arcis cum geminis trans fluminis undas
 Andreae Sancti moenia vasta nitent
 Conspicueque Philippi Pulchri stat, nota terrae,
 Ad ripam turris tam gravis et celebris.
 Templum istuc signum speciosum servat eburnum
 Virginis augustae, quae tenet Unigenam.
 Nunc in te Vitae conventus, cara, Latinae,
 Avenio, quartus / cui subeant alii! /
 Partibus ex mundi cunctis cogit studiosos,
 Ne lingua Latii discipuli careant,
 Propagetur ut in ludis doctrina Latina,
 Quae quoque nobilitent atque colant iuvenes.
 Avenio, te conservet fortuna benigna
 Et vigeas, Rhodanus donec erit fluvius!
 Gallorum crescat tecum populus generosus
 Floreat et pollens, sidera donec erunt!

Ljubljana, exeunte mense Ianuario MDCCCCLCVIII.

Slovenia, Iugoslavia.

S. Kopriva.